



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

V. De potestate confirmandi baptizatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

Johannes Zonaras, & Alexius Aristenus explicare velint de Ecclesiasticis præcipuè censuris & aliis ad Episcopum pertinentibus negociis; non videtur tamen eam expositionem admittere sententia Ignatii, quam in epist. ad Smyrnensis his verbis exprimit: *Nemo præter Episcopum aliquid agat, eorum quæ ad Ecclesiam pertinent. Firma Eucharistia reputetur. quæ ab Episcopo concessa fuerit.* -- Propterea non licet sine Episcopo, ἢ π βαπτίζεν, ἢ π προσφέρειν, ἢ π ἱερίαν προσκομίζεν, ἢ π δοχὴν ἑπιπέλειν, neq; baptizare, neq; offerre, neque sacrificium immolare, neq; missas facere, sive, ut alii reddunt, neq; agapen facere, quod probat Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus in not. Quicquid tamen hujus sit, non videtur ea horum patrum sententia, quod potestatem suam habeant & accipiant ab Episcopo, sed quod ad exercitium actus requiratur etiam scientia Episcopi, cum contingere possit casus aliquis dubius, cujus cognitio merito Episcopo defertur.

VI. Cæteroquin rectè docet Isidorus Episcopus Hispalensis, etiam presbyteros, qui Episcopi non sunt, præesse Ecclesiis Christi, esse consortes Episcoporum in doctrinâ populo tradendâ, in officio prædicandi, in administratione Sacramentorum, & solâ ordinatione exceptâ omnia competere Episcoporum munia. Presbyteri, inquit, interpretantur Seniores, quia seniores ætate Græci presbyteros vocant, his enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum DEI commissa est. Præsent enim Ecclesiis Christi, & in consecratione divinâ corporis & sanguinis Christi consortes cum Episcopis sunt; similiter in doctrinâ populorum, & in officio prædicandi: sed sola propter auctoritatem summo Sacerdoti Clericorum ordinatio & consecratio reservata est, ne à multis Ecclesia disciplina vindicata concordiam solveret, scandala generaret. Non tamen sine fundamento putat Hugo Menardus not. ad sacram. Gregorii p. 144. tempus fuisse, cum sæpè sæpius contingeret, ut ipse baptizaret Episcopus, rarius baptizarent presbyteri & diaconi. Ista tamen praxis presbyterum jure baptizandi minimè excluderat, sed per accidens fiebat, quod cum presbytero major esset Episcopus, indecorum fuisset, ipso præsent presbyterum communes alioqui sacri ministerii actus exercere.

CAP. V.

De Potestate confirmandi baptizatos.

I.

EX antiquissimis Ecclesiæ documentis constat, in collatione baptismi non manûs tantum impositionem adhibitam fuisse, sed junctam simul unctionem sive chrismâ. Theophilus Antiochenus Episcopus, qui sub

sub M. Aurelio & Commodo Imp. vixit, lib. 1. adv. Autolyicum: Nos propterea Christiani vocamur, ὅτι χρισμῶμεθα ἐλαίου Θεοῦ quoniam unguimur oleo DEI. Tertullianus de resurr. carn. c. 8. Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecratur. Cyrillus Hierosolymitanus cateches. mystagog. 2. Statim ut ingressi estis, vestem exuistis. -- O rem admirandam! Nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat. -- Deinde jam exuti exorcizato oleo uncti estis à summis capillis ad ima. -- Postea deducebamini ad sanctum divini baptismi lavacrum. Atq; tunc unusquisq; interrogabatur, an crederet in nomen Patris & Filii & Spiritus S. & confessi estis salutarem confessionem: & mersti ter in aquâ rursus emeristis. Et Catechesi seq. Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, -- quo frons & alii sensus corporis symbolicè inunguntur. -- Ac primum quidem fronti illinitur. -- Deinde verò aures unguuntur: -- postea nares: -- tum verò & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ fortiter adversus insultus diaboli consistatis. Ambrosius de Sacrament. l. 1. c. 2. Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen seculi hujus luctaturus. Chrysostomus homil. 6. in epist. ad Colos. Antequam ascendat è lavacro adeò facile exiit veterem hominem atq; vestimenta. Inungitur more athletarum, qui stadium jam ingressuri sunt. Augustinus tr. 33. in Job. Chrisma græcè latinè unctio nuncupatur. Ideò autem Christus nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Et tr. 118. in eund. Signum Christi nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ quâ regenerantur, sive oleo quo chrismate unguuntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Ex lib. 15. de Trin. c. 26. Donum gratiæ visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.

II. Ritus hic, uti ab initio receptus fuit liberè ad instar aliarum ceremoniarum & rerum indifferentium: ita non alius ejus fuit usus, nisi ut commonefacerent baptizatos, quod gerere se in posterum debeant, ut Reges, Sacerdotes & athletæ spirituales, & quod Christo sepulto atque è sepulchro ad novam & immortalem vitam resurgenti conformari debeant. Huic autem ritui qui necessitatem quandam tribuunt, & ex eo Sacramentum conficiunt, vix erit, ut quæ capite antecedente recensui, ordinaria Sacramenti requisita, institutionem scil. immediatè à Christo factam, elementum & signum visibile, & verbum denique ad elementum accedens, salutaris gratiæ promissionem continens, ostendere queant. Cum enim statuunt, materiam hujus Sacramenti remotam esse oleum balsamo admixtum, ab Episcopo consecratum, proximam verò, unctioem ex ipso oleo in fronte adhibitam ad formam seu figuram crucis; formam ejus, verba quædam solennia: *Signo te signo crucis* &c. nihil sanè horum ex mandato & institutione divinâ profectum docebunt unquam. Imò verò ex discordantibus opinionibus, quæ inter eos foventur, tantum abest, ut de Sacramenti hujus naturâ certi aliquid definiri possit, ut potius dubitare de ple-

risque omnibus oporteat, & hæc tandem conclusio resulter, haudquaquam id esse divinitus institutum.

III. Nobis unicè id nunc incumbit, ut dispiciamus, utrum soli Episcopo competat potestas confirmandi, an etiam cæteris Ecclesiæ ministris? Prius enim illud dum communiter affirmari & exerceri solet, non conferatur tantum hoc Sacramentum cum baptismo, sed etiam propter dignitatem ministri ei subinde præfertur. Disceptatum eâ de re summâ cum contentione & procacitate fuit inter Jacobum Sirmondum notissimi nominis Jesuitam, & Doctorem quendam Sorbonicum, qui sub Petri Aurelii nomine in Jesuitas stylum exacuit. Sirmondus statuerat, chrismationem in confirmatione non esse necessariam, & posse eam etiam à presbytero administrari; cui utrique propositioni acerbè & cum hæreseos notâ contradixit Aurelius, adeo, ut qui legerit scripta eorum de controversiâ hæc edita, antirrheticum scil. Sirmondi & anæreticum Aurelii, mirari satis non possit, post tot secula non convenire inter Latinæ Ecclesiæ Doctores de materiâ hujus Sacramenti, & de ministro Chrismatis consecrandi & administrandi, cum tamen pleriq; omnes institutionem ejus ad prima Ecclesiæ tempora, plurimi ad ipsum Christum autorem referant.

IV. Occasionem ei contentioni præbuit canon secundus Concilii Arausiaci I. quem Gratianus c. 125. de consecrat. dist. 4. his verbis recenset: *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate usquam debet progredi, quia internos placuit semel in baptismate chrismari.* (Hic finiri canonem in quibusdam exemplaribus notat David Blondellus in apol. de episc. & presb. sect. 3. n. 5. nec ulterius procedit canon vigesimus septimus Concilii Arelatensis II, qui ex Arausiano videtur desumptus, Gratianus verò pergit) *De eo autem, qui in baptismate quacunq; necessitate faciente chrismatus non fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est. Non præjudicantes cuiquam hoc dicimus: sed ut non necessaria habeatur chrismatio.* Plurima hæc tum de verâ lectione & constructione verborum, tum de expositione & genuino eorum sensu hodiè lis agitur, quam vix est, ut quisquam componere queat, si præsertim studia partium accesserint, & *ædè vix* suam quisque sustinere velit sententiam.

V. Johannes Dallæus lib. 3. de confirmat. cap. 2. canonem hunc corruptum esse confidenter asserit, neque laciniam illam, quæ incipit à verbis: *nam inter nos* &c. absque evidenti absurditate consistere posse cum canone Arausiano, sed additam esse ab aliquo antiquario, iis temporibus vivente, quibus chrismationem repeti in usum Ecclesiæ jam in vectum fuerit, primoque adjectam fuisse in margine, mox verò per incuriam librariorum in ipsum contextum irrepisse. Omnino autem legenda esse verba ultima in

in sensu negativo, & inferendam, particulam, *non*, hoc modo: *non ut præjudicans quicquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*: quam lectionem optimâ aliorum Codicum fide restituerit Sirmondus. Esse autem utrâque manu acceptandum, quod notet laciniæ hujus autor, chrismatis unam esse benedictionem apud quoslibet, & unum propterea esse chrisma; verbis autem sequentibus, quâ se non præjudicare velle dicit, modestè admodum ac verecundè seculi sui autoritati, quo chrismationi repeti mos erat, satisfacere, & veritati tamen consulere, dum repetitam illam chrismationem docet nequaquam esse necessariam. Illam Commentatoris istius modestiam cum non cæperet Gratianus, ademptâ clausulæ illius negatione ad temporum suorum consuetudinem, uti rectè observat Sirmondus, jure ac more suo accommodavit. Gratiani scilicet seculo, uti & nostro hoc, non habebatur chrismatus, nisi quem Episcopus etiam post acceptum à presbytero in baptismo chrisma, denuò chrismaverit. Arausicanorum verò patrum ævo semel in baptismo acceptum chrisma sufficiebat, quod utriusque chrismationis & presbyterialis & Episcopalis eadem esset ratio; quæ deinceps ita discriminari à se invicem cœperunt, ut hæc sola verum Sacramentum, illa baptismi mera ceremonia conseatur. Laciniam autem illam ab alio quoque, non ab ipsis Arausicanis Patribus superadditam fuisse, etiam exinde post Grotium conjecturam capit Dalæus, quod præjudicandi verbum in hoc significatu non conveniat isti seculo, sed in hoc nocendi sensu à Bartolo & Baldo primùm usurpatum fuerit.

VI. Jacobus Sirmondus retinet negandi particulam in verbis ultimis, & canonem Arausicanum eadem prorsus ratione explicat, nempe, unicum tantum fieri debere & sufficere in fronte chrismatis unctionem, & necessarium proinde esse, ut minister, qui baptismum administrare velit, chrisma in promptu habeat, quo simulatque baptizatio facta fuerit, ungi in fronte baptizatus queat. Quod si verò vel propter defectum chrismatis, vel propter aliam aliquam causam unctio ommissa fuisset in baptismo, debuisse Episcopum in confirmatione eâ de re admoneri, ut defectum istum suppleret, & chrismationis actum superadderet. Chrismatis enim unam esse benedictionem, siue ea à presbytero fieret post collatum baptismum, siue ab Episcopo in confirmatione. Nec proinde necessariam esse repetitionem Chrismatis, ita ut à presbytero prius in baptismo, & ab Episcopo iterum in confirmatione chrismari debeat baptizatus.

VII. Petrus verò Aurelius ille, de quo dixi, graviter insultat Sirmondo, & retentâ constructione verborum affirmativâ, quâ repetitio chrismatis necessaria statuitur, suam hunc in sensum addit interpretationem, non debere quenquam baptizandi gratiâ progredi sine chrismate, eò quod baptismus non debeat sine chrismatis unctione peragi; hanc autem semel

tantum conferri, eo scilicet quod extra baptismum chrismatio illa, quæ Episcopis competit, baptizantibus non sit permessa. Nec tamen inde sequi putat, quod baptismi minister nusquam sine chrismate progredi debeat, quia, inquit, *Chrismatio etiamsi semel facienda sit, poterit tamen extra baptismum fieri*, adeoque nihil necesse erit, ministrum baptismi Chrisma, quo eam in baptismo peragat, semper in promptu habere, & posse adeo chrismationem illam presbyterialem in aliud tempus differri. Si quis enim in baptismo chrismatus non fuerit, debere Episcopum in confirmatione eam de re admoneri, ut scilicet confirmandum remittat ad presbyterum, eum in finem, ut ab eo chrismetur in vertice. Hanc enim chrismationem ab Episcopo perfici non posse, quia chrismatis ab eo conferendi non nisi una benedictio est. Effet autem duplex, si prius vicem presbyteri per chrismationem in vertice suppleret, & suas deinceps per chrismationem in fronte partes ageret. Et esse adeo à presbytero expectandam chrismationem omisam, quia necessaria est repetita chrismatio, prima scilicet quæ in baptismo adhiberi debuit, & secunda, quæ ab Episcopo in confirmatione perficienda est. Et hanc remissionem ad presbyterum non ideo fieri, ut Episcopali chrismationi præjudicetur, h. e. ut virtus & efficacia ejus inde minui existimetur, sed ut repetita chrismatio necessaria habeatur.

VIII. Hæc Aurelii explicatio, etsi multam cum mordacitate adversus Sirmondum inducta fuerit, ab eruditis tamen ferè omnibus hæcenus explosa est. Post utriusque bellum finitum, Petrus de Marca, cujus nomen ubique cum encomio aliquo intellectum volo, in *not. ad Concilium Claromontanum*, dum canonis Arausici facit mentionem, hanc ejus reddit interpretationem. Primo canonis membro disertè præcipi ministris baptismi, ut chrisma in eo sacramento adhibeant, & aquam tinctos ungant; altero de omisam in baptismo Chrismatione agi, & ad hunc solum casum posteriora verba trahi debere. His verò constitui, necesse non esse, ut hoc casu Episcopus tempore confirmationis duplici utatur chrismatione, priore eamque solitariam, qua negligentiam Presbyteri suppleat, & omisam in baptismo unctionem ipse restauret; posteriore verò, quæ in confirmatione manuum impositioni jungitur; hanc enim solam sufficere. Hinc adeo præsupponit Marca, presbyteris baptismum conferentibus licuisse olim infantes ungeri, non tamen in fronte, nec unctionem istam olim fuisse præceptam: Canone verò Arausicano injunctum fuisse ministris baptizantibus, ut tenerentur deinceps ex officio baptizandis chrisma adhibere in vertice, conversum ita, quod voluntatis & arbitrii primum fuit, in necessitatem. Sed quia in illis novi decreti exordiis contingere potuerit, ut casu aliquo omitteretur à baptizante chrismatio in vertice, eam de re admonendum fuisse Episcopum, non eum in finem, ut baptizatum remitteret ad ministrum baptismi,

mi, qui omiffam unctiōnem verticis præftaret, & fic Epifcopo confirmandum redderet; fed ut ipfe arbitraretur, an duplici chrifmatione fungi vellet, unâ, quâ fuppleretur defectus omiffæ in baptifmo ceremoniæ, alterâ fibi competente & confirmationi propriâ. Priore cafu nihil præjudicari, cum fuperflua non noceant, nec tamen chrifmationem illam repetitam i. e. iteratam & bis actam ab Epifcopo, necessariam effe, cum unâ eâdemque benedictione confecratum fit chrifma, quo utuntur Epifcopi & presbyteri. Hæc ita Marca eum in finem, uti ipfe ait, ut vetuftati fua ratio conftaret.

IX. Sed fortè non defunt, quæ Viro illuſtriffimo reponi poſſint. Præſumpta eſt hypotheſis & ab Aurelio accepta, legem hanc de chrifmandis à presbytero in vertice baptizatis tunc primum in Gallis eſſe latam; & propterea non fine ratione rejicitur à Dallæo d. l. Et violentia videtur explicatio verborum, *Placuit inter nos ſemel chrifmari*, per verba: *Necceſſarium eſſe duximus ut chrifmatis delibutio non pendeat impoſterum ex arbitrio presbyterorum, ſed ſimul & ſemel cum baptifmo adminiſtretur.* De arbitrio presbyterorum nullus hic fermo. Et quanquam placuerit, ut delibutio fiat à baptizante, inque eum finem jubeatur ille chrifma ſecum deferre, placitum tamen illud de chrifmatione unicâ, quod ſequitur, non tam ad excluſionem arbitrii referendum eſt, quàm ad excluſionem iteratæ chrifmationis ab Epifcopo perficiendæ. Teſtimonium autem Innocentii I. Pontificis, cui tantam tribuit auctoritatem Vir ſummus, haud obſcurè oſtendit, ejus ævo nondum receptum fuiſſe ubique terrarum, ut Epifcopi in fronte chrifmarent. Et optimè hinc concludit Sirmondus, in Italiâ ipſâ vix extra Urbem (Eugubium enim, ad cujus Epifcopum Innocentius id ſcripſerat, Umbriæ civitas eſt) vicinas Eccleſias inſtitutum hoc tenuiſſe. Atque idcirco aliunde videtur in Arauſicanum canonem illata iſta expoſitio, neceſſitatem tùm primum injunctam fuiſſe Epifcopis in Galliâ, ut in vertice ungerent. Nec ſatis cohæret, quod ſtatuit vir ſummus, deficiente illa Chrifmatione in arbitrio fuiſſe Epifcopi, unâ tantùm an duplici chrifmatione fungi vellet ipſe. Quid opus enim illâ admonitione præviâ de nondum factâ à presbytero chrifmatione, & quid opus deliberatione Epifcopi, ſi unica illa Epifcopalis chrifmatio in confirmatione peragenda ſufficiens fuerit.

X. Verba canonis, ſi conſiderentur in conſtructione ſuâ attentius, hoc innuere videntur, non Epifcopis tantùm chrifmandi jus competere, ſed presbyteris etiam & diaconis. Miniſtri enim, quorum fit mentio, quibusque baptizandi & chrifmandi poteſtas tribuitur, *ἑπὶ τῶν ἐκκλησιῶν* ſive diaconi ſunt, qui ita dicuntur, quod miniſtrent Epifcopo & presbyteris. Unde, quando miniſtri Sacerdotibus ſive in Conciliorum decretis, ſive in Legibus Imperatorum opponuntur, aut adjunguntur, per Sacerdotes Epifcopi & presbyteri, per miniſtros verò diaconi intelliguntur. Id quod in præſenti materia

riâ satisclarè & dilucidè patet ex *can. 3.* Concilii Vasensis I. Quod si igitur vel presbyter vel diaconus, qui baptizavit, chrisma adhibuerit, necessaria non erit ulterior aliqua chrismatio ab Episcopo perficienda, sed ab eo tùm sola adhiberi debet impositio manûs. Et hæc simplicissima videtur & verbis, ut ja cent, maximè conformis interpretatio. Observat autem ex collatione diversorum canonum aliorumq; testimoniorum Dallæus *d.l.* variùm nec uniformem fuisse Ecclesiarum in hoc negotio usum: communem tùm Latinarum omnium hunc fuisse, ut manûs impositio, quæ olim & presbyterorum fuerat, à solis fieret Episcopis; chrismationem verò in Hispaniâ ab Episcopis & presbyteris, exclusis diaconis, in Galliis verò etiam à diaconis peractam fuisse: Romæ solos Episcopos in fronte chrismasse, extra frontem etiam presbyteros: ibique adeò duplicem fuisse chrismationem, alibi unicam, veterem scil. illam, quæ in fronte fiebat.

XI. Sed ne controverso testimonio diutiùs inhæreamus, apertum magis & perspicuum ex ipso jure Canonico prostat, quo presbyteris potestas confirmandi concessa legitur. Desumpsit id Gratianus *c. pervenit dist. 95.* ex Gregorii Magni *lib. 3. epist. 26.* quam scripsit ad Januariam Episcopum Caralitanum. Verba hæc sunt: *Pervenit quoq; ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros tangere chrismate eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum Ecclesie nostre fecimus: sed si omninò de hac re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Qui epistolas Gregorii noviter ediderunt, cum vidissent, verba ista hodierno Romanorum dogmati adversari, quippe apud quos solis Episcopis baptizatos in frontibus ungere jus est, audacter ea mutarunt, & pro eo, quod scriperat Gregorius, *tangere chrismate eos, qui baptizati sunt, item, in frontibus baptizatos chrismate tangere,* substituerunt nimis protervè, *eos qui baptizandi sunt, & baptizandos chrismate tangere.* Sed veram esse lectionem, quam exhibuimus, ipsius Gregorii eodem libro epistola nona ostendit, quæ prohibuerat ante, ne presbyteri baptizatos infantes chrismate signent in fronte, & agnoscit Cardinalis Bellarminus *de conf. c. 12.* non esse genuinam lectionem, quæ modo legitur in Codicibus impressis, & præferendam eam, quam secutus fuit & exhibet Gratianus.

XII. Huic Gregorii constitutioni cum subjecisset Gratianus auctoritatem Leonis & Gelasii, contrarium præcipientium, suam hanc addit *Ingruoriv: Sed istud Gregorii pro scandalo sedando semel concessum legitur; illud autem Leonis Papæ & Gelasii, usu approbante, prævaluit nisi forte: ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentia Episcopi extremâ necessitate cogente & ex concessione Gregorii Presbyteri baptizatos in frontibus liniant. Prohibitio verò Leonis & Gelasii in eo casu intelligatur, cum Episcopi presentes sunt, vel cum non cogit*

cogit ultima necessitas; oleo vero sanctificato permittitur eis ungeri infirmos. Scd ista Gratiani conciliatio displicet Antonio Augustino l. 1. de emend. Grat. dial. 17. Quid ita? quia ordinarii ministri hujus Sacramenti sunt Episcopi, ut in Concilio Tridentino dicitur. At hoc μέγα λίσαν αἴτιμα est, neq; concessum, & omninò Gregorii constitutioni adversum, solum Episcopum chrismare posse & debere. Neq; ex Concilii Tridentini decretis explicare licet anteriorum Pontificum rescripta. Imò, ut maximè concedamus confirmationis ministerium ordinarium esse Episcopum, quid prohibet, quo minus extra ordinem idem negocium committere liceat presbyteris? Neque enim de hoc dubitat Severinus Binius in not. ad dict. Gregorii epist. 26. cujus verba oportune faciunt ad nostram sententiam: *Autoritate, inquit, Concilii Florentini & Tridentini Episcopi dicuntur esse ordinarii ministri confirmationis; ita ut ex delegatione summi Pontificis etiam quilibet Sacerdos idem ex justâ causâ administrare possit. Quod ajunt, ministerium Episcopale esse de essentiâ hujus Sacramenti, verum non est. Nam quod confirmatio ordinariè ab Episcopis, non autem à presbyteris administratur, factum reperitur, inquit Hieronymus adversus Luciferianos, ad honorem potius Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Add. Didac. Covarruvias lib. 1. var. resol. cap. 10. num. 11. Verba Hieronymi, ad quæ provocat Binius ita se habent: Quod si hoc loco queris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum? quem nos asserimus in vero baptismo tribui. Disce, hanc observationem ex eâ autoritate descendere, quod post ascensum primum Spiritus S. in Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.*

XIII. Ex dictâ autem Gregorii concessione hoc maximè notandum venit, faterieum, prohibitionem antea à se factam fuisse secundum veterem usum Ecclesiæ Romanæ. Quæ verba ostendunt, non ubique in Ecclesiis catholicis omnibus, sed Romæ tantum invaluisse, ut non nisi Episcopus chrismate baptizatos signaret in fronte. Illa autem consuetudo ortum habuit, vel à temporibus Innocentii I. vel illicò post constitutionem Sylvestri, cujus hæc fuit in Synodo Romanâ constitutio c. 5. *Constituit etiam voce clarâ Sylvester Episcopus Urbis Romæ, ut nemo presbyter chrisma conficeret, dicens, quoniam Christus à chrismate vocatur.* Habemus hic primum pontificalis chrismationis autorem: habemus etiam rationem constitutionis, sed parum probabilem, & planè ἀναλόγηον; ut adeò frustra sit longius excurrere, & à temporibus Apostolorum πρῶτον hanc Episcoporum arcessere aut etiam ipsius Christi institutioni eam adscribere. Ad usum autem Ecclesiæ,

clesiæ Romanæ veterem provocat Gregorius, non ad ipsam hanc Sylvestri constitutionem aut legem Ecclesiasticam aliam, quandoquidem leges Ecclesiasticas non aliter obligare volunt ipsi illi, qui Romanam sedem venerantur, quam si usu sint receptæ. Usui igitur optimo jure adscribi potest, quod lege Ecclesiasticâ primùm constitutum fuit.

XIV. Hanc autem Sylvestri constitutionem, qui prodiit anno CCCXXIV. non fuisse ubique receptam, colligitur ex *canone 20. Concilii Toletani I. anno CCCC. celebrati.* In illo enim expressè decretum fuit, *diaconum non chrismare, sed presbyterum absente Episcopo, præsentè verò, si ab ipso fuerit præceptum.* Hæc verba accipienda esse ait Severinus Binio non de sacramentali unctione Chrismatis in fronte, sed de unctione ceremoniali, quæ in solenni baptismo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc ceremoniam unctionem ait olim presbyteris interdictam, non nisi cum licentiâ Episcopi, ab iisdem usurpatam fuisse. Et ne frustra hoc dixisse videatur, provocat ad verba Hugonis Victorini, & Leonis I. Pontificis Romani *epistolam 88.* At verò nemo quisquam hoc permittet Binio, ut ex verbis scriptoris recentioris sententiam Concilii integris septem seculis, & quod excurrit, antiquioris, explicet & interpretetur. Vixit enim Hugo de sancto Victore circa annum Christi MCXXX. cui propterea canones Concilii Toletani explicanti non magis credemus & ad stipulamur, quam ipsi Binio. Leonis autem epistola, quæ allegatur, Leonina non est, sed spuria & adulterina à plano quodam conficta, cujus *voûsias* manifestam fecit David Blondellus in erudito opere, quod *Pseudo Isidorum* inscripsit. Manet ergo, in Hispaniâ tùm temporis presbyteris licuisse chrismare baptizatos. Nam quod præsentè Episcopo, nisi ejus jussu presbyteros chrismare vertant Patres Toletani, id jam obtinebat, ex quo tantam super presbyteros acquisiverat præminentiam Episcopus, ut non chrismare, non baptizare, non pœnitentem reconciliare, & ne ufitatissima quidem atque infima sui ordinis ministeria, si adesset Episcopus, expedire vel attingere, nisi eo imperante vel certè annuente, auderent presbyteri.

XV. Vertente tamen seculo, haud paulò severiores extiterunt Episcopi Toletani. Post Concilium namque Toletanum II. quod anno Christi DXXXI. celebratum fuit, ad Palentinos scripsit Montanus Toleti Archiepiscopus, & verbis atrocibus invehitur in presbyterum, qui chrisma confecerat. Epistola legitur *tom. 2. Concil. pag. 401.* In ea tamen talia leguntur verba, quæ haud obscure produnt, prohibitionem istam non esse ex jure divino, sed merè Ecclesiastico. *An forsitan, inquit, sanctorum patrum regulas & constitutiones synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur parochenses presbyteri, non per viliores personas, sed aut per semetipsos aut per rectores sacrariorum, annuis vicibus chrisma à Præsidente sibi Episcopo petant? Credo, quod*
qui

qui petere jusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt. Si abstulerunt, præsupponi debet, presbyteros eam potestatem habuisse. Quandoquidem auferri nequit, quod non adest, quod quis non habet. Nec potest videri defuisse habere, qui nunquam habuit. l. 208. ff. de R. J. Sed & disertè ait, ex sanctorum patrum regulis & constitutionibus synodicis id jus ortum suum habuisse, ne quis putet, ex jure divino provenisse. Nec meruit proinde istud presbyteri facinus tam severam, & horridam reprehensionem.

XVI. Quantæ in Concilio Tridentino hæc de controversiâ obortæ fuerint contentiones disceptantibus hinc inde patribus, utrum presbyteris potestas christum a Pontifice Romano concedi possit, accuratè exponit Petrus Svaris in *hist. Concil. Trid. lib. 2.* Cum autem svaderent alii, damnandos solummodo eos, qui dicerent, Sacerdotem, non autem solum Episcopum esse ministrum ordinarium, quod iis verbis utraque opinio posset stabiliri, relicta hinc libertate inferendi: Ergo alius est minister extraordinarius; aut illinc colligendi: Ergo non potest esse alius minister, Sacramenta ministrum nullum admittunt, nisi ordinarium: videtur consilium hoc adprehendisse Patres Tridentini, cum anathematismum hunc in modum conceperunt: *Si quis dixerit, confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Quæ verba, cum ambiguum interpretationem eo, quo dixi, modo, patiantur, satis ostendunt infelicem hujus decisionis exitum, nec ausos fuisse Tridentinos ministerium presbyteri per anathematismum prorsus excludere, aut invalidum reddere.

CAP. VI.

De jure Episcopi circa edificandas Ecclesias.

I.

IN Concilio Chalcedonensi *can. 4.* constitutum legitur: *Quoniam nonnulli monachico pretextu utentes & Ecclesiastica & civilia perturbant negocia, temerè & citra ullam discriminis rationem in Urbibus circumcursantes, quin etiam monasteria sibi constituere studentes; visum est, nullum usquam edificare nec construere posse monasterium vel oratoriam domum, præter sententiam ipsius civitatis Episcopi.* De monachis quidem loquitur canon, qui per πολυπραγμοσύνην suam humana atque divina confundunt, deque constructis & edificatis per eos Oratoriis, οἰκοῖς ἐκκλησίαις, ut hæc ratione plebem à parochis suis abstraherent, & ad se allicerent; in genere tamen Aristenus antiquus

Xxx

Glossa